Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

congreganti & reliqua. impleto ieremię uaticinio di-
centis. Ecce ego mittam ad uos piscatores multos. Postquam XII
audierunt PETRUS & ANDREAS. IACOBUS & IOHANNES
filii zebedei sequimini me & faciam uos piscatores homi-
num. contexuerunt sibi ex ueteri & nouo testamento sage-
nam euangelicorum dogmatum & miserunt eam in mare seculi huius.
que usque hodie in mediis fluctibus tenditur & capiens de
falsis gurgitibus quicquid inciderit id est bonos homi-
nes & malos. optimos pisces & pessimos. Cum autem uenerit con-
summatio & finis mundi ut ipse infra manifestius differt.
tunc sagena extrahetur ad litus. tunc uerum secernendorum piscium
iudicium demonstrabitur. & quasi in quodam quietissimo
portu boni mittentur in uasa celestium mansionum. malos
autem torrendos & exsiccandos gehenne flamma suscipiet. T
Intellexistis hec omnia? Dicunt ei. Etiam. Ad apostolos proprie
sermo est. & illis dicitur intellexistis hec omnia. quos non uult au-
dire tantum ut populum. sed intellegere ut magistros futuros.
Ideo omnis scriba doctus in regno celorum similis est homini patri
familias. qui profert de thesauro suo noua & uetera. Instruc-
ti erant apostoli scribe & notarii saluatoris. qui uerba illius & pre-
cepta signabant in tabulis cordis carnalibus regnorum celestium
sacramentis. & pollebant opibus patrisfamilię. eicientes de the-
sauro doctrinarum suarum noua & uetera. ut quicquid in euan-
gelio predicabant legis & prophetarum uocibus conprobarent. Unde &
sponsa dicit in cantico canticorum. noua cum ueteribus fratruelis
meus seruaui TIBI.